





3,69.

DISPVATI<sup>O</sup> IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE 1769 41369

REGVLA CATONIANA 33

PRAE SIDE

MARTINO GOTTLIEB PAVLI D.

DIGEST. VETER. PROF. PVBL. ORD. CVR. PROVINC.

CONSIST. ECCLES. SCABINAT. ET FACVLT. IVRID.

ASSESSORE

PRO GRAD<sup>V</sup> DOCTORIS

RITE CAPESSENDO

DIE XIV. AVG. A. R. S. C<sup>I</sup>C<sup>I</sup>C<sup>L</sup>XVIII.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA.

AB

ERNESTO GOTTFRIED HANISCH

DRESDENSI

ADVOC. IMMATRIC.

VITE BERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.

BRUNNEN-DRAUGELBERG-HOTEL  
BEGALIA  
MARTIN-GOTTLOB PAULI D  
PICKETT VATER WOLF 1777 60 CARIBBEAN  
CONSET ESTATE GOMMAGA SAWYER TARIO  
BOSTON-NEW YORK  
THE COLLECTOR  
IN DISSEMBLYMAN BOSTON  
HOTEL GOTTLOB HAMBURG  
DEUTSCHES  
SACCO-TAMMIS  
KREUZIGER  
E. GÖTTSCHE-CRISTENSEN

ILLVSTRISSIMO COMITI  
AC DOMINO,  
DOMINO  
**ALBERTO CHRISTIANO**  
**ERNESTO**

S. R. I. COMITI ET DOMINO IN SCHOENBVRG,  
DYNASTAE IN GLAVCHAV ET WALDENBVRG,  
AEQVE AC COMITATVS INFERIORIS HAR-  
TENSTEINENSIS, IN LICHTENSTEIN  
ET STEIN ETC.  
MAGNI ORDINIS BRANDEBVRGICI AQVILAE  
RVBRAE EQVITI ETC.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

ILLUSTRISIMO COMITI  
AC DOMINO  
CHRISTIANO  
ALBERTO  
ERNSTO

COMITI ET DOMINO IN CONCILIO  
TRIBUNAL IN ECCLASIA ET ACADEMIA  
AD CIVITATIS UNIVERSITATIS HAB  
CONVENTUS ET CONFERENTIA  
ET CONSTITUTA

AD OMNIA EXCELSIORA QUITA  
HABERE DILECTUM

DOMINIS SAVO OLIVERIUS

EXCELSIORA QUITA  
HABERE DILECTUM

*3.*  
*2-*  
COMES ILLVSTRISSIME,  
DOMINE CLEMENTISSIME,

 *Animum, utrum hoc pro obtinendis in vitroque  
iure honoribus specimen ILLVSTRISSIMO  
NOMINI TVO consecrarem, diu multum-  
que fluctuantem confirmauit incredibilis TVA, DO-  
MINE GRATIOSISSIME, clementia, quae non so-  
lum huius temerarii propositi et audaciae facilem veni-  
am pollicetur, sed et spem facit laetissimam, TE istud,  
cui maxima ex solo NOMINE TVO ILLVSTRIS-  
SIMO accedit commendatio, manu suscepturum pro-  
pitia. Quae quidem spes est tanto laetior, tantoque  
firmior, cum mibi nuper submissa mente piaque vene-  
ratione ad TE accedenti serenum vultum ostenderes, at-  
que*

que documentum beneficæ humanitatis , qua splendes  
maxime , luculentissimum exhiberes , qua haud ita re  
non affectus sum , vt gratae mentis publice contestan-  
dae occasionem lubens volensque arripiam. Ignoscet  
itaque , DOMINE CLEMENTISSIME , quod ego  
tenue specimen , tanquam sacrum mentis TIBI deuo-  
tissimae pignus in TVA benevolentia deponere audeo:  
TVAE enim tutelae spem fortunamque meam supplex  
credo. Deus optimus maximus TE diutissime omni  
prosperitatis genere beatum , saluum incolumentque pa-  
triae , omnibus bonis , qui pro TVA salute pia vota  
nuncupant , conseruet , gentemque TVAM ILLV-  
STRIMMAM in perpetuum florere iubeat

TVO NOMINI ILLVSTRISSIMO

DAB. VITEMB.  
d. xiv. Augusti  
c/o Io CCLXIX.

devotissimus,  
ERNESTVS GOTTFRIED HANISCH



Q. D. B. V.

DISSERTATIO

DE

REGVLA CATONIANA.

§. I.

**C**Quantum in omni studiorum genere *Regulae* praestent, seu *definitiones*, aut, quibus eae praeterea et ab aliis nonnunquam efferuntur nominibus, *aphorismi*, *axiomata*, *canones*, *enuntiata*, *receptae sententiae*, maxime ratae *sententiae*, *carbolica* *praecepta* et q. s. r. optime ii norunt omnes, qui cetera artium scientiarumque experimenta omnia ex iis sic pendere intelligunt, sic confici et consequi, vt noa

A 2

animuum

SCH

animum tantum erudiant, sed plenissima potius scientiarum cognitione imbuant, adeo, vt, iis rite intellectis perspectisque, ad iustum eorum usum rectamque applicationem illationemque subacto potissimum opus sit iudicio et exercitato. Quae cum ita sint, ab antiquissimis inde temporibus viri sapientissimi prudentissimique artium, humano generi utilissimarum, scientiarumque praecipuarum ambitum omnem prima sua reducere ad principia et communes coniicere in locos studuerunt. Quis enim est, quem, vt alia taceam, Hippocratis, Medicorum principis, fugiant Aphorismi, id est, definitiones breues, quibus artis medicae tradidit praecepta, quis ignorat Epicuri κυριας δοξας, id est, maxime ratas et grauissimas ad beatę viuendum, breuiterque enuntiatas sententias, apud Diogenem Laertium adhuc hodie superstites. Sed non Medici tantum et Philosophi eiusmodi habent Aphorismos et κυριας δοξας, habent et Iurisconsulti Regulas Iuris, quae breui narratione causaeque veluti coniectione vniuersum pacne ius in se vi ipsa et potestate continent, intellectumque hominis ad aequi iurisque notitiam plenissime dirigunt et deducunt. Has Iuris nostri regulas Iacobus Gotfredus, Vir summus, in Praefatione, Commentario in Titulum Pandectarum de Regulis Iuris praemissa, fontes esse, ait, e quibus, veluti per canales et riulos, ius educitur, semina, quae, procedente proficienteque iudicio vnuque, in ramos se se postra

stea quam latissime diffundunt et explicant, *scintillas*, quibus mens vbiique collustratur, *penora conditaque et tibefauros*, e quibus propositarum quaestionum decisiones desumi debent, *claves*, quibus adtya iuris reserantur, *cynosuras* denique in vastissimo iuris oceano nauigantibus propositas, et, si verum amamus, dixit, fateamur, *Iacobus Gorhofredus*, quod res est, Non enim ab obscuris hominibus et semi doctis, sed ab summis omnino et exercitatisimis iurisconsultis summo eac olim studio sunt compositae. Summi quoque prudentissimique viri colligendis iis explicandisque certatim olim suam collocarunt operam, *Q. Mucius Scaeuola* v. g. *Neratius Priscus*, *Pomponius*, *Ceruidius Scaeuola*, *Caius*, *Papinianus*, *Paullus*, *Marcianus*, *Modestinus*, *Licinius Rufinus*, *Vlpianus*, *Venuleius* denique, alii, luculento indicio, vsum, quem in Iure nostro istae praestant regulae, summum esse maximumque. Sed *omnis definitio in Iure civili periculosa est*, inquit *Iauolenus l. 202. D. de Reg. Iur. parum est enim, ut non subverri possit*. Omnis *definitio*, Iauolenus ait, id est, *regula* omnis, hoc enim sensu definitionis vox in Iure nostro loco non uno effertur, v. g. *l. 1. D. de Reg. Caton. l. 22. §. 1. D. Quando dies legat*: *l. 1. s. 5. D. Quod vi aut clam. quo in primis loco Vlpianus verbis disertis Q. Mucii regulam l. 73. s. 2. D. de R. I. traditam, definitionem vocat*. Atque has regulas et *definitiones periculosas esse* ait Iauolenus, et id quidem tam

ratione *compositionis*, eas enim concinnare magni est artificis et exercitati Iurisconsulti, quam, ob summam, quae in iis ad rem seu speciem propositam applicandis requiritur, attentionem, ratione *applicationis* quam maxime, parum enim est, ut non possit subverti, et simulac in aliquo vitiata est, omne suum perdit officium. *l. 1. D. de R. I.* Eius rei exemplum prae ceteris praeclarum suppeditat *Regula Catoniana*, et in hac scribendi opportunitate placet, de hac celebri Iuris regula pauca distilere.

## §. II.

Regula autem, de qua dicturi sumus, Catoniana, quae *l. 86. §. 1. D. de Condit. et Demonstrat. Sententia* vocatur *Catoniana*, quin *l. 13. D. de Opt. legat. Catoniana* simpliciter, ea, inquam, regula *l. 1. pr. D. de Reg. Cat.* his effertur verbis: *QVOD, SI TESTAMENTI FACTI TEMPORE DECESSISSET TESTATOR, INVITILE FORET, ID LEGATVM, QVANDOCVNQUE DECESSERIT, NON VALET.* atque instituta ea est et composita eodem ab Iurisconsulto, ab quo nomen est fortita, nimirum ab *M. Porcio Catone*, utrum vero ab *M. Porcio Catone* patre, an ab illius filio cognomine, non liquet. Quamuis enim, quae Catoni in Iure nostro tribuuntur, pleraque omnia Catoni filio deberi, existimet *Ioann. Gotlieb Heineccius Hist. Iur. Rom. Libr. I. §. CXXXII,* aliquæ,

aliique, tamen, cum eadem vtriusque sint nomina, cumque  
vterque eadem iurisprudentiae laude floruerit, haud ita facile  
hac in re hodie certi quid definiri potest. Constat autem in-  
ter omnes, saeculo ab V. C. sexto vtrumque floruisse Caton-  
em, quare, siue Cato pater istius regulae auctor sit, siue  
filius, eius origo ab reipublicae liberae temporibus et ex sae-  
culo V. C. sexto repetenda est, cumque vterque Iuris ciui-  
lis scientia omnes alios eius aetatis viros, quamuis doctissi-  
mos, longe superarit, hanc ab artifice tam egregio tamque  
exercitato compositam regulam ab ceteris eius aeuī Iuriscon-  
sultis tantum non omnibus comprobatam fuisse, facile est ad  
existimandum. Sed, quod praestantiam illius regulae cer-  
tiorem longe evidenteremque reddit, constans illius et per  
omne subsequens tempus perpetua est fama, et quod non  
sermone tantum omnium, sed ipso adeo vsu forensi et publi-  
co sit celebrata. Etenim, quamuis successu temporis Roma-  
na respublica summas subierit mutationes maximasque, at-  
que Augustus ceterique Imperatores munia senatus, magi-  
stratum, legum in se trahere cooperint, nullo aduersante,  
quamuis hi Imperatores tantum non omnes, quoniam hoc  
tempus aliam vitam, alios mores, iura alia postulabat, de  
Iure Romano ad hunc monarchicum statum inflestanto cum  
cura cogitarint, Romanisque iura dederint, quibus, vti ait  
*Tacitus Annal. III. 28.* pace et principe vterentur, Catoniana

tamen

ramen regulā suam semper retinuit, certe, recuperauit auctoritatem. Hinc non isti tantum magni nominis Iurisconsulti; qui in genere iuris ciuilis regulas collegerunt in Catonianam quoque commentati sunt, sed Iulius Paullus ad eam vnam librum conscripsit singularem, Iustinianus Imp. autem in Corpus Iuris, eius iussu conditum, eam transtulit, et de ea proprium Pandectis inseri curauit titulum, quo tandem factum, ut, in quae Europae regna deinceps, inprimis medii acui temporibus, Corporis Iuris Romano-Iustinianei penetravit auctoritas, in iis omnibus Catoniana quoque innotuerit regula vsumque obtinuerit forensem et auctoritatem, eamque obtineat vbiique et tueatur adhuc hodie.

## §. III.

Itaque; qui sit huius regulae sensus, tam vtile est expōni curatus, quam dignum quaeri, inprimis cum Celsus l. i. pr. D. de Reg. Caton. aperte dicat, *eam in quibusdam falsam esse.* Hanc autem Celsi admonitionem, verissimam quamuis, ne in malam partem accipiamus, alias meminisse iuuabit eiusmodi adhortationis, quae l. i. D. de Reg. Iur. his effertur verbis: *Non ex regula ius sumatur, sed ex iure, quod est, regula fiat.* id est, non quarumlibet promiscue causarum casuumque decisio ex regulis iuris petatur. Promiscue, inquam, etenim verba ista: *Non ex regula ius sumatur, non eum*

3.

a

eum habent sensum, quasi iis indicetur, regularum iuris non tantam vñquam fuisse auctoritatem, quanta legum, quanta senatusconsultorum et constitutionum, ceterarumque Iuris specierum, vel, quasi ad iuris decisiones iis vti non possimus, non debeamus, eo potius ista spectant verba, vt, hoc veluti monito, caute iis prudenterque vtamur. Non igitur promiscue ex regulis ius sumendum, sed, ex quo iure vna quaeque earum sumta sit, videndum, et ad illud ius solum referenda est. Quae cum ita sint, Catonian regula, nisi ex iure fiat, id est, nisi ad id ius, nisi ad eam iuris speciem, cuius causa confecta est, restringatur et aptetur, falsa est, sumque perdit officium. Namque huius regulae conditor, Cato, per eam nouum ius non introduxit, nec introducere voluit, sed illud potius ius, quod in foro vulgo multis in casibus, eodem modo se habentibus, per manus erat receptum, tradebaturque et obseruabatur, in regulam breuem atque concinnam, veluti in lineam breuemque causae coniectionem coniecit, atque igitur *ex Iure, quod est* istam regulam fecit. Vixit autem, prout iam dictum, Cato saeculo ab V. C. sexto, itaque regula, ab eo condita, antiqui iuris est regula, et ad ea solum iura pertinet, quae post illius tempora viguerunt, contra vero ea ad iura, quae post illius tempora scripta sunt et introducta, non potest aptari. Hinc *Domitius Vlpianus l. s. D. de Reg. Caton. Regula,* inquit,

B

Cato.

*Catoniana ad nouas leges non pertinet;* id est, ad eas leges, quae post tempora Catonis scripta sunt, ad eas leges, quibus nouum ius, ei regulae derogans, introductum, has nouas ad leges Catoniana non pertinet regula.

## §. IV.

Vix autem opus est, dici, quod liquet vltro, Catoniani regulam ad doctrinam de Legatis pertinere. Vtrum vero ea ad doctrinam de legatis tantum, an praeterea ad doctrinam de hereditatibus quoque pertineat et de heredum institutionibus? in eo inter viros doctos controversia est. Mquet eam non tam, quo Cato usus est, vocabulum: *legatum*, vt, scilicet, quod *legatum* foret inutile, si statim deceperisset testator, id non conualescat ex eo, quod diutius vixerit, constat enim, istud vocabulum in Iure nostro et heredum institutiones, et alias testatorum dispositiones continere, quemadmodum illud hoc sensu in L. L. XII. Tab. acceptum est, ut *legasset suae rei*, ita ius esto. l. 120. D. de V. S. mouet eam potius *Papinianus*, qui l. 3. D. de Reg. *Caton. Regula Catoniana*, inquit, *non pertinet ad hereditates*. et habet haec res aliquid quaestio[n]is, in primis cum in Iure nostro existent leges haud paucae, quae alia omnia nos docent. Nam, ut alia Iuris ciuilis praeteream loca, *Licinius Rufinus* l. 210. D. de R. I. *Quae ab initio*, inquit, *inutilis fuit institutio*, id est,

est, heredis institutio, hereditas testamento data, ex post facto conualescere non potest. Vlpianus autem l. 4. D. de Reg. Cat. Placet, inquit, *Catonis regulam ad conditionales institutiones non pertinere*. quibus verbis, eam in puris institutionibus locum sibi vindicare, satis, quamuis tacite, indicat. Quodsi enim ista regula in hereditatibus heredumque institutionibus plane non admitteretur, inutilis esset admonitio Vlpiani, ad conditionales eam non pertinere institutiones. Quid igitur? Iacobus Cujacius, Vir summus, Obseruat. IV. 4. lectionem l. 3. D. de Reg. Caton. prout ea recepta est, plane non posse defendi, atque libertatis et hereditatis nomina, vti alii in locis, ita quoque hac in lege ab librorum scriptoribus confusa, alterum pro altero positum, verbaque Papiniani ita legenda esse: *Regula Catonianana non pertinet ad LIBERTATES*, existimat, nec potest negari, hac emendatione omnem legum, si qua vere adest, repugnantiam commoda ratione remoueri. Sed Iacobus tamen Gotobredus eiusmodi adesse negat repugnantiam, quae, nisi ferro medicinam quaeramus, tolli nequeat, atque emendationis inuidiam apta interpretatione evitat. Scilicet, quae ex l. 3. D. de Reg. Caton. allegamus, quaeque huic controversiae ansam dederunt verba, ea partem tantum dictae l. 3. constituant, non totum illius exhibent veluti ambitum, atque Papinianus, qui: *Catonianana regula non pertinet ad hereditates*, dixit, una statim oratione

aut

B 2

pergit:

pergit: neque ad ea legata, quorum dies non mortis tempore, sed post aditam cedit hereditatem. Iacobus Gothofredus itaque, quae continua oratione dicta scripta sunt, continuo filo et uno veluti spiritu legenda esse censet ad l. 210. D. de Reg. Iur. quo facto, patet, Papinianum his verbis, Catonianam regulam ad hereditates pertinere, non simpliciter, sed potius eas tantum ad hereditates, ea ad legata pertinere negasse, quorum dies non mortis tempore, sed post aditam demum cedit hereditatem, in quo dixit, quod res est, prout videbimus infra. Atque magis placet haec Gothofredi interpretatio, quam quidem ista Cujacii emendatio dictae l. 3. D. de Reg. Caton.

## §. V.

Pertinet itaque Catoniana regula et ad legata et ad hereditates, id est, ad heredum institutiones. Ut autem, ratione id fiat, intelligamus, sciendum, verbis L. L. XII. Tab. Paterfamilias ut legos sit super pecuniae tutelaue suae rei, ita ius esto, testatoribus olim latissimam potestatem et heredis instituendi et legata et libertates dandi, tutelas quoque constituendi esse tributam. Sed successu temporis tamen ista potestas, teste Pomponio l. 120. D. de V. S. interpretatione coangustata est vel legum, vel auctoritate iura constituentium. Restricta autem ea est et coangustata partim ratione testatorum, non enim poterat testari amplius, nisi qui condendi testamenti ius

ius habebat, qui erat testabilis; partim ratione heredum instituendorum et legatariorum, qui omnes capiendi ius habere debebant; partim quoque ratione materiae subiectae, ratione rerum, de quibus quis testari volebat. Quo facto fiebat haud raro, ut testamentum, vel quia illud scripsérat, qui iure non poterat, vel quia in eo institutus erat heres, eiue legatum relictum, qui capiendi ius non habebat, vel denique, quia res erat legata, cuius legandae ius non erat, corrueret vel totum, vel pro parte saltim infirmaretur. Tum vero disputari coepit in foro, an hereditates atque legata, quae cum relinquerentur, tempore conditi testamenti, propter hanc vel illam causam non consistebant, postea, causa illa cessante, vitioque sublato, conualescerent? Atque placuit tandem, nec posse eiusmodi hereditates et legata, nec debere conualescere, Cato autem hoc ius, diuturno tempore in iudiciis agitatum, et post magnas varietates usu fori receptum, collegit et in breuem coniecit regulam. Ceterum, quamuis haec regula legatis et hereditatibus communis sit, minime tamen ea omnia pertinet ad legata, ad hereditates omnes. Et legata quidem quod attinet, ipse totius regulae Catonianae contextus satis indicat, ea tantum ad legata istam pertinere, quorum utilitas, ut ita dicam, vel inutilitas ex eo potissimum aestimatur, quo testator condidit testamentum, tempore. Huius enim testamenti conditi temporis rationem habuit Cato, idcirco, quia ciuiles

actus ex praesenti tempore statum capere oportet, non ex  
incerto et fortuito temporis euentu pendere l. 137. §. 6. D. de  
V. O. Fingamus itaque rem quis legat seruo heredis in te-  
stamento scripti, an valebit hoc legatum? *Iustinianus* §. 32.  
*I. de Legat.* ait, inutile illud esse, idque ideo, quia seruus  
qui est in potestate heredis dominica, eadem cum herede per-  
sona esse fingitur, atque igitur legatum, quod seruo heredis  
relinquitur, ipsis heredi relinquitur, id quod, cum nemo sibi  
ipsis possit esse creditor et debitor, fieri nequit l. 18. l. 116. §. 1.  
*D. de Legat.* *I.* Sed fingamus, seruum legatarium post con-  
ditum testamentum, sed viuo adhuc testatore, potestate here-  
dis exiisse, atque eo tempore, quo moritur testator, diuisam  
esse personam domini et serui per manumissionem, nonne  
hoc in casu utile erit legatum? negat *Iustinianus* d. §. 32. *I.*  
*de Legat.* propterea, quia, quod inutile foret legatum, si  
statim post factum testamentum deceperet testator, hoc non  
debet ideo valere, quia diutius vixerit testator. Fingamus  
praeterea, rem testator legat mihi meam, et statim moritur.  
Inutile esse hoc legatum ait *Iustinianus* §. 10. *I. de Legat:*  
propterea, quia, quod meum est, amplius meum fieri non  
potest, quia rerum dominia non nisi ex una causa possunt ad-  
quiri. *I. 3. §. 4. D. de Adquir. vel Omittend. Possess.* Sed fun-  
gamus, post conditum testamentum diu adhuc viuit testator,  
ego vero rem meam mihi legatam alieno, ut, quo tempore  
mori-

moritur testator, ea amplius mea non sit, an erit petatio istius legati? negatur ab *Vlpiano l. 41. §. 1. D. de Legat. I.* et ab *Iustiniano §. 10. I. de Legat.* ideo, quia, quod ab initio inutile est et vitiosum, tractu temporis non potest conualescere. Ait hic scrupulum iniicere videtur *Celsus*, qui *l. 1. §. 2. D. de Reg. Caton.* *Si tibi*, inquit, *legatus est fundus*, *qui scribendi testamenti tempore tuus est*, *si eum viuo testatore alienaveris*, *legatum tibi deberur*, *quod non deberetur*, *si testator statim decessisset*. Nec desunt, fateor, Iurisconsulti praestantissimi, qui hac ex parte dissidium agnoscunt, atque hanc Celsi sententiam penes istam Vlpiani et Iustiniani stare non posse, contendunt. *Emundus Merillius*, qui in ea est opinione, in causam simul huius dissensionis inquirit, eamque *Obseru. V. 34. et ad §. 10. I. de Legat.* e diuersitate sectarum deriuat, atque *Vlpianum l. 41. §. 1. D. de Legat. I.* *Scabiniorum*, qui veterum regulis et praeceptis instabant constanter, sententiam retulisse; *Celsum vero*, tanquam *Proculianum*, *l. 1. §. 2. D. de Reg. Caton.* ad exemplum nouaturientis *La-beonis*, veterem istam regulam vilipendere putat. Sed *Celsus* fortassis dicta *l. 1. §. 2. D. de Reg. Caton.* aliud dicit, aliud dicere videtur. Etenim in prooemio dict. I, primo quidem ipsam tradit regulam Catonianam, insimul vero admonet lectores, eam in quibusdam falsam esse. Ut autem id, quod dixit, probet, statim in §. 1. eam ad legata, sub conditione relictâ, non pertine-

tinere, ostendit, et exemplo commonstrat, quasi vero non sufficeret exemplum singulare, subiicit §. 2. alterum, ut hac ratione, regulam Catonianam, si ad conditionata eam applicemus legata, falsam esse, eo magis constet. Sensus itaque l. i. §. 2. *D. de Reg. Cazon.* hic est: *Si tibi legatus est fundus qui scribendi testamenti tempore tuus est, ea sub conditione, si eum viuo testatore alienaueris, existente hac conditione, legatum tibi debetur, quod non deberetur, si testator statim, id est, ante existentem conditionem si deceperit.* Qua ratione, plana sine dubio atque perspicua, si cum *Francisco Balduno de Regula Catoniana pag. 420. sqq.* Tom. I. *Iurisprud. Rom. et Attic.* *Ioanne Voet Compend. Iur. Libr. XXXIV.* Tit. VII. *Godofredo Mascouio de Sect. Sabin. et Procul. Cap. IX.* §. 22. explicemus istum Celsi locum, apparet, Iurisconsultum d. l. non de legato rei propriae *puro*, sed *conditionato* potius loqui, atque dissidium omne et repugnantiam, quam hac ex parte Celsum inter et Vlpianum intercedere putant *Merillius l. c. et Cuiacius ad l. 16. D. de V. O. et §. 10. I. de Legat.* euangelere prorsus.

## §. VI.

Sed redeamus, vnde digressi sumus. Dixi autem, Catonianam regulam ea tantum pertinere ad legata, quorum intuitu conditi potissimum testamenti tempus spectandum est.

et

et quod dixi, duplii illustrauit exemplo. Ut itaque cetera peragamus, quae legata et qualia ad hanc referenda sint legatorum classem, videamus. Constat autem, huc non nisi ea pertinere legata, quorum dies, quamvis nondum apertae sint testamenti tabulac, nondum quamvis adita sit hereditas, tamen statim a tempore mortis cedit testatoris. *Cedie* autem legati *dies*, quando illud incipit deberi, etiamsi nondum peti possit et exigi, etiamsi illius nondum *venerit dier. l. 213. D. de V. S.* hinc legatum, cuius dies statim ab tempore mortis cedit testatoris, statim ab mortis tempore testatoris incipit deberi, eo effectu, ut, quamvis peti statim non possit et exigi, nihil secius tamen legatarius illud, si post diem cedentem decesserit, in heredes transferat suos. *l. 5. pr. D. l. 3. C. Quando dies legat.* Quacum ita sint, patet, Catonianam regulam non, nisi iis obtinere in legatis, in quibus conditi testamenti tempus congruit temporis mortis testatoris, etiamsi illius mors diu post conditum demum testamentum fuerit insecuta, et, vice versa, in quibus tempus mortis testatoris congruit tempori conditi testamenti, etiamsi illud conditum sit diu ante mortem testatoris. Sed ex *Vlpiano Fragment. XXIV. 31.* discimus, antiquo iure et iis temporibus, quibus condita est Catoniana regula, eorum, quae *pure* sunt vel *in diem certum* relictā, legatorum diem ex mortis testatoris cedere tempore. Deinde si *post diem*, vel *ex die certo* relictū est legatum, similī modo

C

modo

modo atque in puro dies cedit ex tempore mortis testatoris,  
*l. 5. §. 1. l. 21. D. Quando dies legat.* quamuis ante diem exi-  
stentem peti nequeat. *d. l. 21. D. Quando dies legat.* *l. 213. D. de*  
*V. S.* Obtinet itaque Catoniana in legatis puris, et quae puris,  
cessionis causam quod attinet, equiparantur, in legatis, qui-  
bus dies adscriptus est certus. Ceterum quaedam sunt legata,  
quorum dies, etiamsi pure sint relicta, tamen non ab tempore  
mortis cedit testatoris, sed ab adita denum hereditate, et in  
quibus ideo, quia eorum dies ab adita denum cedit heredi-  
tate, regula Catoniana non obtinet. *l. 3. D. de Reg. Caton.*  
Huc autem pertinet legatum *vſusfructus*, *vſus* et *habitationis*,  
quorum omnium dies non ab mortis tempore testatoris, sed  
ab adita cedit hereditate. *l. 2. l. 9. D. Quando dies legat.* *l. vn.*  
*§. 2. Quando dies Vſusfr.* Nam cessionis effectus est trans-  
missio legati in heredes legatarii, et ideo institutum est, le-  
gata pure relicta morte cedere, non aditione, ne heredes,  
aditioni moram faciendo, et transmissioni moram faciant.  
Ait legatum *vſusfructus*, *vſus* et *habitationis* non transmittitur  
in heredes, sed cum legatarii persona extinguitur, frusta-  
igitur esset, si quis horum legatorum diem ante aditam here-  
ditatem cedere diceret, *l. 3. D. Quando dies legat:* nec opus  
est, eorum accelerare legatorum cessionem, quorum nulla  
est in heredes transmissio. Praeterea huc quoque pertinet  
legatum libertatis. Finge, testator seruo libertatem reliquit,  
qui

23.

a

qui ipsius non erat tempore conditi testamenti, sed postea  
demum eius factus est. An erit locus Catonianae regulae?  
negatur, etiamsi libertas pure sit relicta, et negatur propte-  
rea, quia ista regula ad liberalem causam plane non pertinet,  
atque dies eiusmodi legati non ab mortis tempore testatoris,  
sed ab adita demum cedit hereditate. l. 8. D. *Quando dies legat.*  
His addo legatum optionis, cuius dies itidem non cedit, nisi  
ab adita hereditate. l. 10. D. *de Legat.* l. l. 16. D. *de Opt. vel*  
*Elect. legat.* Sed haec tamen, quae retuli, legata omnia ab  
adita cedunt hereditate, si in testamento heres extraneus in-  
stitutus est et voluntarius, quippe qui solus adit hereditatem,  
necessarius heres autem et suus non adit hereditatem, sed est  
statim heres ab morte testatoris et ipso iure, qua de causa,  
necessario herede scripto et suo, consequens est, ea legata,  
quae retuli, omnia cedere statim a morte testatoris, a qua,  
qui scripti sunt, heredes adquisiuere bona, quae, extraneo  
herede scripto, non cederent ante aditam hereditatem. Ex  
his omnibus nunc concludendum, regulam Catonianam iis  
tantum obtinere in legatis, quorum dies statim cedit ab tem-  
pore mortis testatoris, ea vero ad legata, quorum dies ab  
adita demum cedit hereditate, eam non pertinere. Quae cum  
ita sint, omnium minime iis in legatis obtinet haec regula,  
quorum dies ne ab adita quidem hereditate cedit, ne dum ab  
morte testatoris, id est, in legatis, quae sub conditione sunt

C 2

relicta.

relicta. l. 41. §. 2. D. de Legat. i. l. 4. D. de Reg. Caton. Nam si sub conditione sit legatum, non prius dies legati cedit, quam conditio fuerit impleta, ne quidem si ea sit conditio, quae in potestate sit legatarii, l. 5. §. 2. D. Quando dies legat. l. 41. D. de Condit. et Demonstrat. neque antea quidquam in legatarii transmittitur heredes l. 4. pr. D. Quando dies legat. quin, rei sub conditione legatae dominium, pendente conditione, est apud heredem, qui et fructus interea suos facit, et rem ipsam obligare et alienare potest, ita tamen, ut ius legatarii quandocunque conditio euenerit, non imminuat, sed is rem consequatur, qualem reliquit ei defunctus, et perinde ac si heres eam non obligasset. l. 29. §. 1. D. Qui et a quibus etc. l. 1. §. 4. D. ad Sētum Silan. l. 12. §. vlt. D. de Vſuſt. l. 12. §. 2. D. Famil. ercise. l. 105. D. de Condit. et Demonſt. l. 81. pr. D. de Legat. i. l. n. §. 1. D. Quemadmod. seruit. amittunt. Pro conditione autem cum in testamento etiam habeatur dies incertus, l. 75. D. de Condit. et Demonſt. l. 21. D. Quando dies legat. atque legati ex die incerto relicti dies non cedat, nisi, qui adiectus est, dies exstiterit, d. l. 21. et l. 22. D. Eod. Catoniā regula hoc quoque in legato non obtinet.

§. VII.

## §. VII.

Fuit haec tenus de legatis disputatio, et quatenus Catoniana regula in iis locum habeat, nec ne? quoniam vero ista regula non ad legata tantum, sed praeterea ad hereditates quoque pertinet, age, quibus in hereditatibus ea obtineat? dispiciamus, sed breuiter et strictim. *Vlpianus autem l. 4. D. de Reg. Caton.* verbis expressis; *Placer,* inquit, *Catonis regulam ad conditionales institutiones non perire.* Cuius rei ratio non est obscura. Etenim cum conditio, id quod inter omnes constat, adiectione sit et circumstantia, quae negotium differt in casum aliquem futurum incertum, facile est ad existimandum, in institutione conditionali, pariter ut in legato conditionali, tempus existentis potissimum conditionis spectandum, et, ut hoc in primis tempore institutio heredis sub conditione facta, atque heres conditionalis nullo vitio laboret, necesse esse. Hoc autem tempus Catoniana regula non curat. Evidem haud ignoro, in institutione conditionali, pariter atque in pura heredem in testamento scriptum duobus temporibus, conditi nimirum testamenti, ut constituerit institutio, et mortis testatoris tempore, ut effectum habeat, debere esse capacem. §. 4. *I. de Hered. qualit. et different.* l. 49. §. i. *D. de Hered. Instit.* Vnde consequitur in conditionali institutione, pariter ac in pura, ut duo ista tempora, ad quae

C 3

quae respicit Catoniana regula, sint spectanda. Ast dicta ista regula solum ad haec duo respicit tempora, ultra non, in conditionalis institutione autem non sufficit, heredem conditi testamenti tempore et mortis testatoris ius capiendi habuisse, necesse potius est, ut praeter ista duo priora tertium quoque spectetur tempus, existentis scilicet conditionis tempus. *d. §. 4.*  
*I. de Hered. Qualit. et Different. l. 49. §. 1. D. de Hered. Instit.*  
*Iacob. Gotbofredus ad l. 210. D. de R. I.* Ergo ad conditionales institutiones Catoniana regula non pertinet, sed ad puras tantum. Ad hereditates, inquam, puras, id est, eas, quarum dies a morte testatoris statim cedit, non quidem eo effectu, vt id quod puris in legatis euenire diximus supra, institutus heres eam statim in heredes transferat suos, etenim, heredes extraneos quod attinet, constans est iuris ciuilis principium, hereditas non adita non transmittitur in heredes, *l. 7. C. de Iur. deliberand. l. vn. §. 5. C. de Caduc. tollend. sed hoc potius effectu, vt, si placet, sine mora eam et statim adire possit, quamvis non necesse habeat heres, statim adire possit, l. 8. C. de Iur. deliber. l. 7. C. de Petit. heredit. quandocunque autem fiat haec aditio, semper ea tamen ad tempus mortis reuocatur testatoris. *l. 54. D. de Adquirend. vel Omit-*  
*tend. Heredit. l. 138. l. 193. D. de Reg. Iur.* Pertinet autem Catoniana regula ad hereditates puras tantum, nam ex certo  
tempo.*

tempore, aut ad certum tempus, veluti, *post quinquennium, quam moriar*, vel, *ex calendis illis*, vel, *usque ad calendas illas Caius heres esto*, heredis institutio fieri nequit, atque dies, qui adiectus est, habetur pro superuacuo, et perinde est, ac si pure esset heres institutus, § 9. I. de Hered. Instit. l. 34. D. Eod. etenim regula l. 7. D. de Reg. Iur. quod nemo pro parte testatus, pro parte intestatus decadere possit, etiam ad spatium temporis pertinet, l. 41. de D. Testam. milit. neque heredem quis habere potest temporarium. l. 88. D. de Hered. instit. l. 7. §. 10. de Minorib.

## §. VIII.

Enim vero haec, quae hactenus de Regula Catoniana, et qua ratione ea in legatis obtineat et in hereditatibus, diximus, ea, inquam, omnia primis sub Imperatoribus et in primis temporibus Augusti insignem subierunt mutationem. Olim enim atque iure antiquo Catoniana regula in legatis obtinebat puris ceterisque omnibus, quibus dies adscriptus erat certus, et ideo obtinebat, quia horum legatorum omnium dies cedebat statim a morte testatoris. Ast lege Iulia et Papiā Poppea, *Non antea, cautum est, quam tabulae testamenti apertae solemniter, dies legatorum, pure vel in diem certum relictorum, cedito.* Vlpianus Fragment.

## XXIV.

*XXIV. 31. Ioann. Gottlieb Heiniccius ad Legem Papiam Pop-  
paeam Libr. III. Cap. II. pag. 375. sqq.* Ipsa autem haec te-  
stamentorum apertura, incognita olim, lege demum vicefi-  
maria, paullo ante legem Iuliam et Papiam Poppaeam lata,  
introducta est, et fieri debebat solemniter. Nimirum  
fieri debebat intra tres vel quinque dies, ab eo com-  
putandos tempore, quo iusta facta fuerant testatori, et  
tabulæ testamenti offerendæ ante omnia erant magistrati  
competenti. Deinde Praetor, coactis signatoribus, agnitis  
signis, rupto lino, aperiebat tabulas, recitandasque curabat,  
et, facta describendi copia, exemplar authenticum, signo  
publico notatum, in archiuo reponi iubebat, vt, si quando exem-  
plum intercidisset, esset, vnde peteretur. Si signatores qui-  
dam abessent, tabulae ad eos mittebantur, vt signa agnosce-  
rent, fin plures vel omnes abessent, præsentibus optimè  
opinionis viris, tabulas aperiebat Praetor, factoque instru-  
mento, descripto et recognito, eas ad absentes mittebat.  
*Ioann. Gottlieb Heiniccius l. c.* Tabulis testamenti ita sole-  
m niter apertis, tum demum hereditatem adire licebat, neque  
ante dies legatorum, pure, vel in diem certum relictorum,  
cedebat. Quo iure introducto, regulæ Catoniane, quam  
habebat olim, auctoritas admodum imminuta est. Deinde  
imminuta ea est ratione coelibum et Latinorum. Quamuis  
enim

XXX

enim olim cum iis esset testamenti factio, tanien lex Julia et  
Papia Poppaea, item lex Iunia Norbana coelibem atque Latinum heredem institui, aut ei legari quidpiam vetabat et, quae  
ipsis relictā erant, caduca siebant, nisi intra centum dies  
hic ciuis Romanus factus, ille matrimonio iunctus. *Iacob.*  
*Cuincius ad Vlpiani Fragment. XVII. 1. Aleander ad Caii*  
*Institut. Libr. 1. Tit. 1. s. 4.* Ex quo tempore, quando coelebs  
aut Latinus heres erat scriptus, eius legatum relictum, vtrumque,  
et heredis institutio et legatum ipso iure semper erat con-  
ditionale, ad quas conditionales institutiones Catoniana non  
pertinet. Ex his autem omnibus, haud enim vacat hodie, addere  
plura, recte *Vlpianum l. 5 D. de Reg. Caton.* dixisse, patet, *Re-*  
*gula Catoniana ad nouas leges non pertinet*, id est, ad eas leges,  
quae post istam regulam scriptae sunt, quibusque nouum ius,  
isti regulae derogans, introductum est, ea regula non per-  
tinet. Sed, quamvis his legibus nouis Catoniane regulae  
imminuta sit auctoritas, dici tamen non potest, eam hac  
ratione prorsus esse abrogatam. Quin, ius antiquum, ad  
quod pertinet Catoniana, celebri ista de *Caducis tollendis*  
constitutione, ab Justiniano Imp. omnibus iis, quae isti iuri  
contraria, et per nouas has leges introducta erant, abroga-  
tis iterum, in usum denuo reuocatum est *l. vn. §. 1. sq. §. 5.*  
*sq. C. de Caduc. tollend.* Quae cum ita sint, hodie non opus  
D  
est

est ista solemni tabularum testamenti apertione, sed qui pure scripti sunt heredes hereditatem statim possunt adire. Praeterea hodie quoque legati pure et in diem certum relicti dies statim a morte cedit testatoris, adeo, ut, si post illius mortem decesserit legatarius, legatum ad heredes transmittat suos. Ceterum legatae libertatis, legati vflusfructus vflus et habitationis dies iure quoque recentiori non ab mortis testatoris tempore cedit, sed ab tempore aditae demum hereditatis, id que ideo, quia legata ista ad heredes legatarii non transmituntur, prout dictum est supra. *I. vn. §. 6. C. de Caduc. tollend.* Haec inter legata, quorum dies ideo, quia ad heredes legatarii non transmitebantur, ab adita demum cedit hereditate, reserebatur olim quoque Optionis legatum, quare et illius dies non a morte testatoris, sed ab adita cedebat hereditate. Sed Iustinianus *I. vlt. C. Commun. legat. et fideicommiss.* constituit, ut, si legatarius viuus non optasset, eius heredi id facere liceret, hinc procul dubio huius legati dies hodie, si pure illud est relictum, statim cedit a tempore mortis testatoris, atque Catoniana regula ad illud hodie aequa pertinet, ac ad reliqua legata, quorum dies statim cedit a tempore mortis testatoris.

## §. IX.

His tandem omnibus addo, ex hac Catoniana regula, quae directe ad rem pertinet testamentariam, successu temporis, tanquam ex equo Troiano, plures alias prodiisse iuris regulas, quae reapse omnes nihil aliud dicunt, quam ista regula, de qua haec tenus differuimus, dixit Cato, quae tamen in vnum omnes verbis conceptae sunt paullo generalioribus. Huc pertinent *I. 201. D. de R. I.* quae sic definit: *Omnia, quae ex testamento profiscuntur, ita statum eventus capiunt, si initium quoque sine vitio ceperint.* Porro *I. 210. D. de Reg. Iur.* *Quae ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto convalescere non potest.* Praeterea *I. 29. D. de Reg. Iur.* *Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.* Ut alia taceam eiusmodi exempla plura. Hae, ceteraque hinc inde obuiæ iuris regulæ nil aliud sunt, quam Catoniane regulæ scintillæ, atque his huius regulæ ampliationibus id in primis est effectum, ut haec iuris regula, si qua alia, pateat latissime. Itaque non ad legata tantum, et fideicomissa, et hereditates, ceteraque omnia, quae ex testamento profiscuntur vel codicillis, quae modo cedant a morte testatoris, pertinet, pertinet praeterea quoque ad hereditates legitimas. Quin, extra causam testamenti et hereditatum, etiam in aliis plerisque causis, ut in contractibus, in stipulati-

tionibus, in tutelis, in actionibus, et q. s. r. ei regulae locum esse, tam certum est, quam quod certissimum. Et, ne labamur in applicatione huius regulae, hoc vnum obseruandum est, nempe: in iis negotiis et actibus omnibus, in quibus leges pro forma statum personae et rei praesentis spectari iubent, et ex quibus negotium statum seu substantiam capit, denique, in quibus semel tantum velle possumus; in his, inquam, omnibus actibus haec regula obtinet, siue de testamentis, siue de contractibus, siue de actionibus agatur. Sed de his omnibus hoc loco plura addere non vacat, et quae hac ex parte dici possunt, ea omnia abunde iam iam dicta sunt olim ab duumuiris praestantissimis Iacobo scilicet Cuiacio,

ad l. 3. D. de Reg. Caton. et Iacobo Gotthofredo

ad l. 29. D. de Reg. Iur.




ULB Halle

005 361 745

3







DISPUTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

1769 41364

3,69

REGVLA CATONIANA 33

PRAESIDE

MARTINO GOTTLIEB PAVLI D.

DIGEST. VETER. PROF. PVBL. ORD. CVR. PROVINC.  
CONSIST. ECCLES. SCABINAT. ET FACVLT. IVRID.

ASSESSORE

PRO GRADV DOCTORIS

RITE CAPESSENDO

DIE XIV. AVG. A. R. S. CICLO CCLXVIII.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

AB

ERNESTO GOTTFRIED HANISCH

DRESDENSI

ADVOC. IMMATIC.

VITEBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.

